UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

3. Dies Maii. Tres cruces in uno loco erant, in una latro liberandus, in altera latro damnandus, in medio Christus, alterum liberatus, alterum damnaturus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

Visual Library

Tolle aurum, nullum ſtringetur ferrum. Aperi divitum thecas, & apothecas, & claudes Martis januam. Imminue opulentis opes, & nullus per campum debacchabitur miles. Sola ad bellum avaritia canit bellicum. Nam propter pecuniam multi evomunt purpuream, ſine purpura animam: multi aut jugulant, aut jugulantur. Hoc vitium faciliùs ab omnibus arguitur, quàm expellitur. Utinam tanto illud proſequeremur odio, quantum meretur! Sed ne ego inſolito penſo deſim, hoc adſtruo theorema, quod canit Poëta,

Si ſtudeas nummis, præfers mox infima ſummis.

3. DIES MAII.

Tres cruces in uno loco erant: in una latro liberandus, in altera latro damnandus, in medio Chriſtus, alterum liberaturus, alterum damnaturus. *S. Aug. Epiſt. 48.*

Crucis timor. I. CRUX hodie inventa debet nobis eſſe fax, qua ardeamus eam invenire. Quiſquis optat poſt nubila phœbum, poſt tenebras lucem; quærat cum Helena crucem. Sed cùm (uti monuit teſſera) ſint ternæ cruces, rejicienda eſt illa, in qua malus, eligenda altera, in qua bonus latro, ſed & præ eligenda etiam huic eſt ea, in qua pependit medius, inter homines, ac Deum mediator. Hic anima medio tutiſſima pendet: ut libens ſic pen-

deas

deas, non illibenter hæc tecum expende. Tota Chriſti vita, à primo quo cœpit ſpirare momento, in utero matris, uſque ad ultimum, quo expiravit in patibulo crucis, fuit perpetua crux. Non tunc tantum bajulavit crucem cùm eam humeris ferret per plateas Jeruſalem, ſed cùm eſſet infans unius diei, cùm eſſet duodecim annorum puer, cùm eſſet in domeſticis latebris Joſephi adoleſcens; cùm eſſet matri ſubditus juvenis, cùm prædicaret regnum Dei, jam vir. Pependit igitur in cruce, non tribus tantùm horis, ſed triginta tribus annis. Tunc tantùm deſiit pati, quando incepit mori.

II. Vult ille, cujus voluntas, volendi eſt regula, ut & nos crucem accipiamus, eumque cruciferi ſequamur, qui eſt via, ſi volumus lauriferi aſſequi, qui eſt vita. Quid eſt crucem ferre, niſi paupertatem divitiis, dolorem voluptati, ignominiam honori præferre? Hoc nos juſſit facere, & quæ juſſit ipſe, fecit. Cogita paupertatem quamvis gravem, cruciatum quamvis acerbum, contumeliam quamvis indignam; omnibus quæ potes concipere, quin & fingere, majora ſunt quæ Chriſtus pertulit. Quidquid ergò juſſit præcepto, perfecit exemplo. Itaque ſi ad credendum ſæpenumero, magis quàm ratio, hominis ducit auctoritas, huc ubi Chriſtus eſt docens, ubi Deus eſt imperans, omnium debet aſſenſio totis viribus advolare. Deindè quis non debeat omnibus votis, tanquam votorum ſummam expetere, ut honoribus à Deo quantum poteſt maximus afficiatur? ſed non habet honores Deus, neque celſiores, neq; clariores iis, quos ipſe ſibi elegit, quibuſq; impenſè delectatus eſt. Hi autẽ ſunt paupertas, ignominia,

cruces;

cruces ; atque in ſocietatem horum honorum nu ſemper amiſit, quos ad gloriam elegit, & unicè dile-xit. Hinc non unus, non pauci, non plures, non plu-rimi, ſed ad unum omnes, (*a*) *Omnes*, inquit Apoſto-lus, *qui volunt piè vivere, perſecutionem patientur.* Si vis ergò Chriſtum ſequi , debes perſecutionem pati.

III. Quod ſi cupidus es honoris & gloriæ, ſita e in cruce, in qua pependit ille, cui ſoli debetur omnis honor & gloria. Si omnium ferè conſenſu, eo ho-noris, dignitatiſque crux Chriſti proceſſit, ut in R gum frontibus ex auro gemmiſque conſpicua ſplendeat, cur dedecora, contumelia, ac cruciatus qui non poſſunt eſſe ſejuncti, adeò in hominum opi-nionibus viluerunt, ut nihil illis indignius, nihil tur-piùs, nihil otioſiùs exiſtimetur ? ſi crucem in templis aris, ſacerdote veneramur, ſi in ædibus, in veſtibus in ipſo diademate Regio, in corona Cæſarea, hono-ris cauſa defigimus , cur in opinione noſtra omni honore ſpoliamus ? cur eandem ex animis, ex pecto-ribus , ex cordibus noſtris per contumeliam eveli-mus ? nomen tantum, & imaginem retinemus cru-cis, rem, & ſignificationem ejuſdem repudiamus. Nam crucem exiſtimamus illud ſolum eſſe lignum, vel æs, vel aurum, vel argentum, unde conflantur. Erramus, atque decipimur : etenim major pars e-jus, in rebus continetur, quas tantopere horremus, atque refugimus ; videlicet damna, dedecora, exilia, verbera, tormenta , cruciatus, falſas accuſationes, iniqua judicia, egeſtatem : dolores, mortem, quæ omnia crucis nomine intelliguntur. Denique toties

dicitur

(*a*) 2. *Timoth.* 3. 12.

dicitur defunctis: Lux perpetua luceat eis: nunquam eris in cœlo particeps illius lucis, niſi fueris in terra amicus crucis: ex præfatis exurget hæc veritas:

Menti major erit lux, major quo fuerit crux.

4. DIES MAII.

Impietas eſt, unum Deum non colere, aut nunquam coluiſſe, aut quem colebat, demiſiſſe. *S. Auguſtin. ſuper Pſal.* 50.

Impietas in Deum.

I. HÆc informis teſſera, prodet cujus ſis claſſis: in quacumque accenſearis, neceſſe eſt, impius cenſearis. Quot ſunt in mundo vani homines, utinam tantùm vani, & non inſigniter impii, qui cùm ſint à Deo, ſtudioſiùs tamen colunt agrum quàm Deum: qui neque Dei unquam reminiſcuntur, ut ei ſerviant, neque ejus imperii, ut illi obediant, neque pauperum, ut illis ſuccurrant, neque vitæ ſuæ, ut eam corrigant, neque conſcientiæ, ut eam expient, quibus ſola ad vivendum dux eſt corrupta natura: & ſic pecudum ritu in paſtum ſe totos abjiciunt; unumque illis eſt opus, ſcelera ſceleribus accummulare; unus labor, Deum execrandis flagitiis ad iracundiam provocare; adeoque cœlum, & terram abominabilibus criminibus infeſtare. O ſi quis eſt talis, omni ex parte es ipſo qui eſt deterrimus, dæmone deterior; ſi ſpectes naturam, eſt extrà controverſiam; ſi mores, ſi acta, & illud extrà omnem dubitationis eſt aleam. Etenim dæmonis